QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS

MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE LVNÆ XI. FEBRVARII.

M. NICOLAO HENAVLT Doctore Medico, Moderatore.

75°

An propria febrium medela refrigeratio?



GREGIVM nobiléque caloris nostri cum natiuo humido connubium, haud quicquam est distinctum à partium essentiâ (substantia constante triplici, dissipabili; similibus instauranda) siue naturâ, quæ elementorum concordi discordia mistorum vnio est, formæ immortalis imperio mancipata. Elementorum materia pellex, concupiscibilisque genio, obuios quosque appetit excipere hospitio; quorum ex consortio, pro cuiusque lasciuia, varios concipit ignes cupidinésque, qui in domesticos insumuntur vsus, si procorum lasciuientium libido tempestiuè coërceatur: secus verò contingit, si diu liberiùs effusiúsque in amplexibus hæserint; ex cógressu enim iurgia, lites, adulteria, cædes denique (spurij partus) domi oboriuntur, Ilias nimirum causarum nocentium, ideæ morborum multiplices, symptomatum omne genus; ac properatâ plerúmque morte excutitur vita; cui si parcitum est, ea tamen deseritur ineluctabili postea tædio dissoluenda. Struuntur itaque sanitatis perpetuò insidiæ, primíque quatuor proci crebris machinis, intestináque proditione inculpatum sanitatis thalamum temerare pertentant, terræ dura siccáque immanitas, aquæ rigida inclementia, effrenata aëris lubricitas, edax demum dissoluénsque ignis caliditas. Hæc enim in parte, vel vniuerso corpore accensa, auctáq; adeò, vt lædat actiones, febris soldit speciem, potissimúmque cum cor ipsum (caloris innati haud solùm principium, sed præcipuum influentis alimentarijque fontem) occupauit prehendítue, ex quo citissimè corpus in vniuersum procedit ac propagatur, non luminis instar, sed riui, radiorúmque naturalium reliquorum more.



EBRIS verò partium similarium morbus, pro triplici earumdem substantia spirituosa videlicet humida & solida, triplicem quoque, eamque substantialem speciem sortitur, hecticam nimirum, humoralem & spirituosam siue diariam; alia est differentię ratio, in qua febrem causa creans aut adhuc adest, aut iam desijt excitatâ febri. alia item quâ egrè solubilis, aut facilis solutu: Varias rursus proscinditur in species, tum ex causis, tum ex accidentibus repetitas, Ephemera namque in legitimam & spuriam dirimitur: Humoralis, in simplicem, quę à sola materiei alteratione; & putridam, quę à putrente bile flaua vel nigra, pituita, sanguine. Ex putredinis modo dicuntur simpliciter putridæ, vel putridę pestilentes. Ex loco vbi putrescunt humores, producuntur intermittentes, vel assiduæ, ex assiduis; alię continuę, aliæ continentes: continuæ, vel biliosę, vel pituitosę, vel melancholicę. Intermittentes sunt quotidianę, tertianę, quartanę. A duratione totius *morbi* diuturnæ, breues *paroxismi*, breuium productarum accessionum. Ab ordine, tum in continuis, tum in intermittentibus, ordinatæ & erraticæ deprehenduntur. Ab accidentibus denominantur sudorificę, phricodes, lypiria, epiala. Ex modo motúque materiæ quædam mordaces, alię mites, insurgentes aliæ: & hectica verò vel per se incipit, vel alijs succedit morbis. Quæ quidem febres vel solitariæ sunt, vel coniunctæ alijs morbis, vel febribus; hæ autem vel confusæ sunt, vel implicitæ, idque multiplici differentia.



EBREM causæ producentes sub quinque capitibus comprehenduntur vniuersæ. Primùm est motus: viuentium enim corpora plus iusto incalescere manifestum est labore improbo, exercitatione vehementiori, motúve quouis totius corporis, tum partium eius, tum animæ; cuiusmodi est cogitatio vehemens, cura, ira, mœror, ac reliqui animę affectus vehementiores. Secundò, contactus rei calidæ; talis verò est, vel virtute, vt sol; vel potentia, vt sinapi; vel actu, vt ignis, febris. Tertiò, prohibitus excrementorũ effluxus, obstructione stipationéve. Quartò, permixtio rei calidę, vt alimentorũ, condimentorũ, medicamentorũ. Quintò, putredo, in qua quęque ascititio calore calidiora. Causarũ verò calorem præternaturalẽ producentium, quædam non modò conseruant eumdem, vt obstructio humorum crassities, cruditas, copia, virium imbecillitas, improba dięta: verùm & adauctę ipsum adaugent, sicuti & superuenientia symptomata, sitis, vigilia, intempestiua vacuatio, aut retentio, multáque id genus.



NIVERSA verò causarum genera ad singularum febrium species determinantur ex naturâ subiecti febris; tum ex conditione materiæ causæ febrem committentis, tum ex ratione loci; Exempli gratiâ, Humores siue naturales, siue contra naturam alterati, aut putrentes in maioribus vasis ac cordi propioribus, continentium omne genus febrium inducunt; ibidémque, sed nec copia nec qualitate pares, vel in minoribus, continuas pariunt; in extremis verò vel si proprijs in conceptaculis stabulentur, siue delitescant alibi; præ imbecillitate partis congesti, siue calore doloréve attracti, siue illuc transmissi, ita tamen vt sint naturæ proritandæ pares, febrem progenerant interpolatã. Reliquæ verò febriũ cõmemoratę differentię ex materię copia, qualitatibus, simplicitate, pexmixtione, locis, sobolescunt. Circuituũ verò in morbis sua est propria causarũ ratio; sua quoque est cur per certa statutáque tẽpora, cur per inordinata; sua item cur singulis diebus febres quædam, tertio, aliæ, aliæ quarto tantùm diemoueantur, quod nec humorũ qualitas nec quantitas, nec quicquã aliud potest inuertere, vt nec locus hos motus facere, nec excitare Luna, corporáve celestia, nec occulta humoris proprietas, nec mittentis robur recipientisq; imbecillitas, nec humoris copia, sed sola humoris ea conditio, cuius ratione faciliùs vel difficiliùs, citiùs tardiúsve putredinẽ cõcipit.



N febrium curatione, indicationum tota ratio in affectum eiusdémque causas conuertenda, neglectis symptomatis, quibus nulla debetur curatio, non spreta quæ à viribus sumitur indicatione, ea namque omnium prima est, nec tamen ex curatricium numero. In prædictis verò omnibus, febre nimirum, causis eiusdem, symptomatis, virium conditione, tanquam cardinibus innixa, cognitionis præsagiorúmque febrium conuoluitur operosa moles. In quorum plurimis ordo perspicuitásque certitudinẽ securitatéque demonstrant, ex inordinatis obscurisque, incerta cognitio exitiumque portenditur: simplex porro febris, vt diaria, simplicem indicat medicationem contrarietate, refrigeratio, aqua, aëre, aliterve ritè comparata; in composita verò, vt continuâ, quæ comitante putredine accensa est, à putredinis ablatione auspicanda curatio; non interim neglecta refrigeratione; quæ duo si vnico præstari possunt præsidio, vt venæ sectione, continuò illud exequendum, habita virium ratione. Quib in febribus, vt syntecticis, confusis, indicationum interuenit pugnantia, eã quæ cæteris valentior est sequatur magis, ceteris tamen non neglectis. Vt verò quæ circunferuntur febrium causæ non omnes per se calorem præternaturalem producunt; sed alijs plerumque intercedentibus mutationibus, sic nec vna est caliditatis febrilis restinguendæ ratio. Hinc febris pharmacis per superiora vel inferiora purgantibus expugnatur, venis arterijsque diuersis in partibus sectis: hinc aqua non simplex modò, sed & composita, natura, arte, potu, balneo, proficua, vt & fotus litus, cataplasmata: Dropacibus & sinapismis sua non deest virtus in quibusdam depellendis febribus: quar tanam sæpè fugauit timor, lætitia quotidianam, tertianam tristitia: nec semper artibus excitata sanitatis spes delusa; plures sanat in quem plures fidunt.

Ergo refrigeratio propria febrium medela. 196.

Proponebat Lutetiæ LANCELOT DE FRADE Molinensis. A. R. S. H. M. DC. XXX.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. *Franciscus* Boujonnier.
M. *Ioannes* Berault, P.R.
M. *Franciscus* Mandat.

M. *Franciscus* Quicquebeuf.
M. *Claudius* Lienard.
M. *Renatus* Moreau.

M. *Ioannes* Texier.
M. P. Seguin I. Reginæ M. & P.R.
M. Petrus Pijart, A. S. M.